B. N. C
FIRENZE
1053
2

Digitized by Google

Digitized by Google

-53 2

Digitized by Google

XXXVII
MONT
1790

1053
2

Digitized by Google

1053.2

Digitized by Google

ORATIO
IN FUNERE
ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI PRÆSULIS
GABRIELIS PHILIPPUCCII
MACERATENSIS

EX DUODECIM VIRIS SIGNATURÆ JUSTITIÆ,

Cum eidem pridie Vitâ functo

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.
PONT. MAX.
DECRETA EXEQUIARUM JUSTA

IN TEMPLO S. IGNATII SOC. JESU

Magnificentiſsimè perſoluerentur;

HABITA XI. KAL. AUGUSTI

ANNO MDCCVI.

A JOSEPHO STANISLAO MONTI EX EADEM SOC.



1872

ROMÆ MDCCVI.

Apud Cajetanum Zenobium Typographum, & Sculptorem, SS. D. Noſtri CLEMENTIS XI. ante Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Clarissimo Viro Antonio Magliabechio

Philippus Monti Auctoris Frater.

Digitized by Google

O R A T I O.

HUCCINE illa tandem, ſingularis, ac penè divina, quæ omnium animos recenti adhuc admiratione occupabat, ampliſſimi honoris abdicatio deflexit? O brevem gratulationem! O longum dolorem, & luctum! Gratulabamur eſſe in hac Urbe GABRIELEM PHILIPPUCCIUM, nihilque magis optabamus, quàm ut diu apud nos maneret tam raræ virtutis exemplar. Cecidimus ſpe tam juſta. Hoc etiam acerbitati temporum debemus, ut ereptum nobis doleamus eum Virum, quem nulla unquam oblivio memoriæ ſeculorum eripiet. Sui nunc illum efferunt honores, quos recuſavit; nec illuſtriùs effulſiſſet in Purpura, qui ſic lugetur in Funere. Parcite modeſtiſſimi Cineres. Is vobis voluntate optimi Principis decretus eſt honor, quem ſubterfugere nullo modo poſſitis. Hoc veluti Urbis juſtitium, hæc omnium Ordinum frequentia, hic atratus parietum ſqualor, hæc tanta comploratio ſatis declarant, nullum eſſe honoris

genus, quod vobis non debeatur, qui, dum vixiſtis, tam ſplendidè omni de honore triumphaſtis. Actum igitur præclarè vobiſcum, Cineres laureati, cum ſuis penè manibus publicus dolor, magnificentiſſimum vobis, triumphumne dicam, an funus? ornaverit. Ac mihi quidem eſt magis in hac laudatione verendum, ne aliorum decipiam expectationem, quàm ne veſtram offendam modeſtiam. Quia tamen non is eſt quæſitus, qui optimè diceret, cum nemo ſatis fuiſſet pro dignitate dicturus; dicam utcunque, atque ita dicam, ut doloris potiùs, quàm argumenti magnitudo tumultuariam hanc Orationem expreſſiſſe videatur. Et quoniam in eas laudes ingredimur, quæ omnium in ore verſantur, quid aliud, hac laudatione dicam, Auditores, quàm quod ſoletis crebris uſurpare ſermonibus? Quanta primùm approbatio veſtrùm omnium fuit, cùm Philippuccium creatum Cardinalem audiſtis? Quanta deinde admiratio, cum idem impetravit, ne Cardinalis audiret, aut eſſet? Hoc ego utrumque tot, atque tantarum in eo eſſe argumentum virtutum oſtendam; ut, quem ita judicaſtis Purpuræ natum, judicetis etiam, quod multò majus eſt, ita natum, ut abdicaret ſe Purpurâ.

Nec levi ſanè opinione virtutis veſtra illa nitebatur approbatio, Auditores, cum Gabriel Philippuccius declaratus eſt Cardinalis. Hunc ille anteactæ vitę fructum ex vobis pulcherrimum tulit, qui tantus omninò eſt, ut alius fortaſſe major eſſe non poſſit. Quàm enim varia ſunt multitudinis judicia! Quàm arduum probare ſe omnibus! Quàm rarum ad ſummos honores accedere ſolìus commendatione virtutis! Eâ tamen famâ integritatis, atque doctrinæ ſemper apud vos fuit Vir probatiſſi-

batiſſimus, ut omnium una vox eſſet, non favore aliquo, ſed multorum ſuffragatione meritorum, hunc illi patuiſſe aditum ad eminentiſſimi gradum honoris. In quo ego veſtrum judicium vehementer admiror, & laudo. Quid enim vobis illuſtrius, quàm in ea opinione fuiſſe, in qua Sanctiſſimus CLEMENS ab ineunte fuerit Principatu? Quo ille die huic veſtræ Urbi, terriſque omnibus lætiſſimo regnare cępit; ſcitote, in eam jam inde cogitationem, divinitùs afflatum, veniſſe; ut Philippuccio deſtinaverit Purpuram. Rem ego loquor minimè incertam, aut dubiam. Id enim illius ex ore acceperunt, quos Civitas Maceratenſis ad eum legavit, Oratores, ut pro meritiſſimo Cive Cardinalibus adſcripto, quas par eſſet, publico nomine agerent gratias. O incredibilem acceſſionem dignitatis! O teſtificationem optimæ opinionis literis omnibus prædicandam! Poſt diuturnum illud, admirandumque certamen, cum nondum conquieviſſet exoratus CLEMENTIS animus; in eo lacrymarum, curarumque æſtu, ex toto humano genere, Gabrielem Philippuccium, quem ſibi Senatorem, ac Fratrem adoptaret, quietus, & minimè anceps elegit, tacituſque jam inde adoptavit. Vix in auguſtam Sedem aſcenderat, cum, quo ipſe loco ſediſſet in Senatu, eum ſtatim, eodemque die Philippuccio decrevit. Vix mutaverat purpureas veſtes novæ Majeſtatis inſignibus, cum eas ipſas, quibus veſtiebatur, hujus Viri cognitæ ſibi, perſpectæque jampridem virtuti parabat. Quare ut dubitandum non eſt de mente optimi Principis, ita videtur nihil dici poſſe præclarius ad hujus hominis laudem. Et multa ille quidem tunc addidit, quibus oſtenderet, non modò hunc eſſe ſibi cariſſimum,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam ita ſuis meritis commendatum, ut debuiſſe potiùs, quàm donaſſe Purpuram videretur. Itaque lætandum vobis eſt, quòd ita cum eo judicaveritis, lætandum illi, quòd id a ſe factum etiam atque etiam approbaveritis; lætandum PHILIPPUCCIO, quòd hoc a Summo Priucipe, a maxima Urbe ſuæ virtutis acceperit præmium.

Et debitum illud quidem: tot enim ſunt ejus Viri præſtantiſſima merita, ut ea nullius Oratio aſſequi poſſit. De quibus, etsì non opus eſſet dicere, cum nec eorum oblivione qui ſunt, nec reticentiâ poſterorum vnquam ſilebuntur, ad lenimentum tamen veſtri doloris erit mihi dicendum, Auditores. Atque illud inprimis eſſet commemorandum, Maceratæ nobili genere ortum, v. Idus Martias, anno Seculi ſuperioris uno, ac trigeſimo, in ipſa ſtatìm rationis luceſcentis aurora, cępiſſe PHILIPPUCCIUM iis effulgere Virtutibus, quæ clariſſimum, ad occaſum uſque, diem portenderent. Quàm multa ſe offerrent optimæ indolis argumenta, quàm multi pietatis, & innocentiæ flores, ex quibus hi tanti fructus, hæc tanta maturitas ſperaretur? Etenim ſic accepimus, veteri quadam diſciplina educatum, tam idoneam ad omnem honeſtatem tuliſſe naturam, ut, cum aliorum ſit ea ætate, ut cerei flectantur ad vitium, ipſe cerâ mollior formaretur ad virtutem. Quàm illum cautè lubricas adoleſcentiæ vias ingreſſum putatis, qui non alia,quàm bonarum artium,ac Religionis ſtudia toto animo complectēda ſuſceperit?In quibus adeò ſe probavit, aut æqualibus,ut iis præiret exemplo; aut magiſtris, ut eorum vinceret expectationem; aut ſuis, ut eos non ſineret a ſe majora ſperare, cum maxima polliceretur.

Nec

Nec illi decrant domeſticæ Majorum imagines ex paterno, maternoque genere, quibus excitaretur ad gloriam. Erat in his ex Matris familiâ Joannes Pelicanus, quem, Xiſto ejus nominis Quinto Pontifice, Senatorem Urbis cum ea laude fuiſſe conſtat, quam conſecuti poſteà honores teſtantur. Plurimis enim, ac præclariſſimis Præfecturis functum, optimèque de Republica meritum, devexa jam ætate Mors occupavit: Sed illud extat perhonorificum in Baſilica Liberiana monumentum, quod nunquam interituram ejus Viri famam in æternitatis memoria ſuſtinebit. Erat & Patruus Militum in Umbria Præfectus, quem recenti elatum funere propiùs noſter Philippuccius intuebatur, ad res naviter, & cum fide gerendas, Principis, & publicæ cauſa ſalutis, hortantem. Erat in primis Dominicus Pater, quem non modò liberis, verùm etiam civibus, & popularibus ſuis, tanquam vivum exemplar, priſtina quædam ſeveritas, integritaſque commendabat; ad cujus normam cum ſe Gabriel filius dirigeret, illud brevi effecit, ut in aliorum ipſe normam tranſiret. Sive enim res a Majoribus geſtas memoriâ repeteret, ſeu Parentis optimi vitam contemplaretur, non ille ſplendore honoris capiebatur, ſed dignitate Virtutis. Hac ille Duce, Comite, Magiſtrâ utebatur: Hæc illum ex adoleſcentiæ difficili, periculoſoque freto, præternavigantem Sirenum ſcopulos, æſtuoſaſque cupiditatum ſyrtes in tranquillum Sapientiæ, ac Sanctitatis littus expoſuit. Nunquam finis eſſet dicendi, ſi optimi Adoleſcentis modeſtiam, innocentiam, religionem, in ſanctioris vitæ officiis ardorem, atque conſtantiam, in odio, & cuſtodia ſui ſeveritatem, atque diligentiam, in

libe-

liberalibus denique diſciplinis laborem, ac fructum oratione perſequi vellem.

Verùm feſtinemus ad majora, quæ ſub oculis noſtris poſita, & eorum quæ dixi fidem confirmant, & quæ ſilentio præterita ſunt, cogitanda vobis relinquunt. Duabus ornatus laureis Theologica, & Juris civilis, quarum alteram propugnatis publicè theſibus, alteram coram Julio Spinula, Piceni tum Præſide, Cardinali deinde ampliſſimo, adeptus erat: cum ſua eum non caperet Domus, & Civitas, ad hanc ille Urbem, commune omnium domicilium, & patriam, divinarum, humanarumque legum Interpretem, ac Magiſtram, in qua Juris utriuſque ſtudia perſequeretur, ineunte juventute contendit. Quid hîc expectatis, Auditores? Quid primum loquar, quid ultimum? Quid priùs mirer, quid magis prædicandum exiſtimem? Quàm vereor, ne cum quid magnum dixerim, vos aliquid majus cogitetis? Ne, cum multa commemoraverim, vos plura deſideretis. Hoc enim ille quinque annorum, & quinquaginta ſpatium, quibus hîc Romæ fuit, ſic laboribus, vigiliis, ſtudiis, Clientium commodis, Amicorum temporibus, Pontificum obſequiis, & ſeverioris, quod caput eſt, arctioriſque ſanctimoniæ artibus attribuit; ut quam opinionem, ac famam apud vos tot rebus præclarè, ſanctèque geſtis, tot egregiis virtutibus, tot ſapienter dictis, aut factis collegit, nec metus ſit, ne major unquam ejus meritis videatur, quæ maxima ſemper extiterunt; nec dubium eſſe poſſit, quin, more majorum fluminum, nova ſemper acceſſione augeatur, & creſcat.

Itaque nihil dicam de iis, quæ & ſæpè audiſtis,

& ani-

39 857574

A. 53. 2

Digitized by Google

1053.2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google